

dignoscere, multò minùs aliis dignoscendas monstrare nequeant.

Cum verò artes istas non tantùm oscitantia multorum & ignorantia, peruersum insuper ac sinisterum iudicium, imò perpetua istarum quasi pedissequa egestas, viles atq; ignobiles; sed instrumentorum etiam commodorum penuria, observationum multarum, & calculi tædiosi schematumque apparatus, difficiles reddat: plerique neglectis istis, vel pauperiores ad magis quæstuosas, tractatuque faciliores, vel ditiores ad magis pomposas speciosasque, hoc lucroso & luxuoso seculo, animum conferunt, corpore brutorum aut talparum instar humi prorepente.

Hinc, ut præstantissimi quique Artifices utriq; malo quandam adhiberent medelam, omnibus temporibus Astronomicarum disciplinarum difficultatem, facilibus commodioribusq; Tabulis & Instrumentis sublevare, vilitatem vulgi, turpemque hominum contemptum firmioribus, evidentioribusq; demonstrationibus infringere allaborarunt. Hinc ut primi mobilis, indeque pendens reliquarum stellarum diurnus motus faciliùs cognoscatur, ante seculum